



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

10. Chronicon Monasteriense.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

CHRONICI  
MONASTERIENSIS;

LIBER PRIMUS,

EX

DN. ALBERTI KRANTII

METROPOLI collectus,

Qui continet CATALOGUM NUMERUMQUE  
*Episcoporum Monasteriensium;*

Atque recitat breviter, quæ ab eis peracta sunt,  
præcipuè autem sacra, &c.

*Autore*

HERMANNO HAMELMANNO;

Licentiate Theologo.

---

*Posteriores tres libri quorum Author mentionem in præsa-  
tione facit, inediti mansere ac cum Authore mortui.*

*Amplif-*





*Amplissimo & Cordatissimo Heroi, atque omnibus virtutum,  
pietatis ac doctrina vera generisque antiqui & splendidi doribus celebra-  
tissimo, omnique laude dignissimo,*

Domino WILHELMO KETLERO,

Quondam Monasteriensium Principi ac Præsuli commendatissimo, &c.  
Suo & omnium studiosorum pauperumque Patrono  
longè colendissimo,

Nec non ejusdem in Principatu Successori & cognato  
Reverendissimo, Excellentissimo & Illustrissimo Principi,  
Domino BERNHARDO,

Ex celebri Nobilium de **MESSELD** Stemmata profana,  
moderno Episcopo & Principi Monasteriensi Præpotenti  
& claro, &c.

*Principi ac Domino gratiosissimo benignissimoque, &c.*

S. D.

HERMANNUS HAMELMANNUS, Lic. Theol.

**N**uper utriusque Celsi. Amplissimi & Splendidissimi Herois, Domini  
Clementissimi, librum quartum virorum Westphalie doctrina  
illustrium, quo ditionis Monasteriensis viros doctos complexus  
sum, inscripsi & reverenter dedicavi, quanquam non in titulo, sed in ipsa  
præfatione fecerim honorificam T. Celsi mentionem, Reverendissime Præsul  
BERNHARDE, cujus rei rationes ibidem recensui: rogo interim T. Celsi, rever-  
enter, cum potissimum verecundia in causa fuerit, ut illud clementer ferat &  
boni consulat. Fam vero deposito timore, cum ex professo in hoc primo libro  
& tuos, BERNHARDE Præsul, imo vestros, id est, utriusque vestrum ante-  
cessores, qui inde à primo Episcopo LUDGERO, quem in vestra Ecclesia Ca-  
rolus Magnus Præsulem constituit, usque ad nostra tempora numeraverim &  
breviter recensuerim, non potui V. Celsi, præterire, quia talis liber, qui vobis  
proprie debetur, aliis recte non potuit nec debuit neglecta V. Celsi, destinari &  
inscribi. Quos obsecro eligerem in hoc edendo Patronos, quam V. Celsi, qua  
illorum, quorum hic vita succincte describitur, vestigia ingressa est, atque Ec-  
clesiam, sedem & locum occupavit, & possessionem obrinuit? Quod autem  
hunc



hunc primum librum nunc saltem emitto: & V. Cels. dedico, hac est causa, quoniam experiri & periculum facere volui, quomodo meus ille labor V. Cels. & deinde ejusdem Consiliarii & ditionis urbiumque vestrarum Proceribus placeret & acceptus esset, ne in vanum laborarem & sumptus perderem. Nam cum meis gravissimis expensis hunc edam, non potui reliquos tres (quorum unum ex Krantio adhuc, alterum ex Ertwini Ertmanni Consulis Osnaburgensis Chronico, adjunctis quibusdam ex Chronico Colonienfi, postremum de rebus nostri seculi partim ex Sleidano, partim aliunde congestis, vel ex observatis quadam experientia, sive ex aliorum relatu collectum, simul conjunctos dare suo tempore decrevi) libellos prius emittere, nisi id de V. Cels. voluntate clementi, atque ejusdem patrocinio ac subsidio fieret. Cupio, modo idcirca meum, ut qui opes hujus mundi non habeo, dispendium & damnum fiat, prodesse patriæ nostræ Westphalia, & ejus aliquot historias in lucem dare constitui, veluti jam antea absolutam ditionis Osnaburgensis & ibidem Episcoporum historiam divulgavi. Itaque nunc etiam de gestis & rebus Monasteriensium amplissimis publice exhibendis eorumque Principibus recensendis animum adjeci. Nam scio, quam sit omnibus cordatis & piis jucundum & honestum notitiam majorum suorum habere & res in patria præclare gestas intueri. Prodest quoque extare certas illorum, qui ante nos fuere atate priores, & præsertim Heroum historias, ut ipsorum vitis à malo terre amur, virtutibus vero & exemplis honestis ad bonum excitemur. Hoc animo & hic liber editur & V. Excell. mittitur, quo & V. Cels. vestrique subditi certum numerum vel catalogum Episcoporum Monasteriensium, hoc est, eorum qui vestri majores & antecessores fuere, habeant. Postquam autem plerique docti, honesti ac studiosi Præsules in isto ordine & catalogo reperiantur, scio Domine BERNHARDE Episcopo celeberrime, istos imitari tuam Cels. memini etenim te adhuc juvenem ante annos fere 24. cum istic ego Ælii auditor essem & deinde posteris temporibus, cum ibidem aliquam provinciam anno 1550. administrarem, te jam virum gravem diligentèr semper lectioni incumbere (quod etiam vel imprimis requirit Paulus ab Episcopo) & retulit nobis de tua in studiis diligentia, doctrina & opera bonis libris & literis accurate impensa meus cognatus & tua olim Cels. nondum in Præsulatu existentis minister, venerandus vir Henricus Voltlagius, jam Canonicus Dulmoniensis collegii, ut non immerito te censeam optimis quibusque ac doctis Episcopis Ecclesiæ Monasteriensis (quorum etiam honesta est facta mentio & relatio in libro 2. virorum Westphalia doctrina & virtute illustrium) adnumerari posse, & existimo non alia de causa, quam propter eruditionem, diligentiam, sapientiam, aequitatem



& alias virtutes te ad Episcopatum Monasteriensem à magnifico Capitulo Cathedrali profectum & in locum Domini KETLERI, præstantissimi cognati mei, tunc se multis de causis tali Principatu abdicantis, constitutum ac electum. Itaque T. Cels. hunc merito librum reverenter inscribere volui, non veritatis quod forsitan ea alienior sit à me homine Augustana Confessionis & sententia. Nam ut me nec Evangelii, nec mea pudet professionis, ita testor & profiteor, (ac Licentiatum sincerioris doctrina) hanc nostram omnium sincerissimam esse doctrinam, utpote qua unicum Christum sapit, & in eodem nobis solam ostendit salutem, qua etiam in ipso Christo tantum remissionem omnium peccatorum exhibet, & excluso omni adminiculo humano, & creaturarum, quorumque subsidio, in eodem illo Christo & non in alio vitam aeternam offert. Si propter hanc doctrinam affligimur, consolabitur nos Christus suo excepit & testimonio. Interim spero T. Cels. pro sua clementi humanitate & sinceris studiosos doctosque affectu, ut qua est ipsa literis, iudicio & prudentia egrè ornata, gratiose nostrum libellum suscepturam, & non iniquam fore immo propter confessionem, qua jam suam in Imperio libertatem consecuta est singulari misericordia Dei: Nec etiam opinor T. Cels. egre ferre, quod vestrum cognatum & antecessorem Dn. WILHELMUM KETLERUM vobis vestraque Cels. nomini angusto prætulim, cum noverit illam communem regulam: Qui prior est tempore, potior est jure. Ita & hic ordine & electione prior te fuit, & si ille voluisset isto amplius frui & potiri Principatu ac regimine, vel te ipso iudice nunquam forte T. Cels. ad istud dominium pervenisset. Itaque hac aequitas & ratio requirebat, ut te illi postponerem.

Et quanquam sciam WILHELME KETLERE, Heros pietissime & lectissime Domine, tuam quoque Cels. agrè adhuc laturam pro sua innata humilitate & singulari modestia (ut qua jam omnes honores, pompam, & aliam mundi gloriam contemnere didicit & revera contempsit) quod in titulo hujus præfationis, moderno Episcopo & Principi Monasteriensi, tuo cognato & Principi illustri, cui etiam te ipsum, nunc us audio subijcis, tuam præstantissimumque nomen ubique splendidum præposuerim, tamen precor, ut hoc mea rusticitati & inurbana incivilitati ascribas, partim etiã ameri, quo iniquior, & tuam gratiam prosequor, imputes. Non etiam suspicor id mihi & iniquum laturum prædictum cognatum tuum Dn. BERNHARDUM, Præfulem jam Monasteriensem, (qui tibi sine omni dubio hunc honorem libenter & merito tribuit largiturque, atque non aliter te quam Patrem, majorem & antecessorem suum, & qui olim suus Princeps & Dominus etiam fuit, veneratur & ostenditur, tuoque consilio sapientissimo sæpe utitur) præsertim cum id ita ordo fieri



& tu illi olim propter rerum usum, eruditionem, eloquentiam, sapientiam  
 aliasque virtutes, quas ipse praeclitus Praesul & omnes sani, multique etiam  
 Principes ac Domini in te celebrant & magni faciunt, forte non sine suo etiam  
 suffragio, in electione cum ad Praeposituram primo, tum deinde ad Principatum  
 praelatus sis: & quousquisque censeret tam cordatum Principem hac non  
 aequali lance perpendere & pie cogitare, ut ei meum institutum esse contrarium  
 non possit? Vehementer igitur precor ut non agre feras, sed potius boni consulas  
 huiusmodi meam tenerariam audaciam. Nam qui totum & tam amplum  
 Episcopatum cum omnibus suis insignibus & celeberrimis splendoribus depo-  
 sisti volens, & quasi sprevisi, te etiam nullam multo minus prerogativam jam  
 amplius quarere non nescio: Sed ignosce meae libertati. Sic ego apud me repu-  
 to, te, qui non agros, domum vel aliud quid propter Christum deseruisti, sed  
 omne hoc, quod altum, potens & magnum est coram mundo & esse potuit, lon-  
 geque pretium agrorum & domuum superat, nempe gubernationem splendida  
 regionis, dominium multarum urbium, tot & tam egregias reliquisti arces,  
 ea solum de causa, ut pie de te creditur, quo placatus & placidus pacatam &  
 sanctam in Christo vitam duceres, recepturum non centuplum tantum in hac  
 vita, sed etiam millecuplum & postea ex gratia FILII DEI vitam aeternam,  
 ubi inter doctores, tanquam lucifer inter praeclucas stellas, ut qui multos exem-  
 plo, consilio & vita ad iustitiam erudiisti, fulgebis. Perge ista tua, celeberrime  
 Domine KETLERE, virtute frui, afflictos excitare, profugos extorresque  
 recipere, miseros consolari, mendicos pauperesque pascere, oppressos liberare  
 periculis, auxilium doctis praebere, supplicibus salutarem dexteram porrigere,  
 ut haecenus consuevisi, & sic erit tibi laus in terris & merces copiosa in caelis.  
 Sunt certe in te dona naturae, ingenii ac corporis admiranda: est in te cogitatio  
 rerum singularis, iudicium per acre, memoria summa, plurima litera divina  
 ac humana magnis studiis acquisita, unde tibi formata est dicendi facultas exi-  
 mia, pietatis ac verae antiquitatis exacta cognitio, praesertim in rebus sacris,  
 ut etiam inter praeclucos Theologos locum habere possis, postquam cum tuo sacel-  
 lano & studiorum quodammodo socio, viro doctissimo & venerando Dn. Joanne  
 Hammakero, historiis ac veterum libris studiisque sacris, quando otium da-  
 tur, tempus omne impendas. Etsi tibi jam etiam non opes, dignitates & stem-  
 ma splendidum (nam ex tuo antiquo genere etiam ante te & fratrem tuum jam  
 dominatum occupantem in Livonia, Principes prodire) praeter numeratas  
 T. Cels. doctes, desunt, & ista dona laudesque multis videntur mirabiles, ut sunt  
 profecto, tamen ille tuus omnium pomparum contemptus, item ista tua Princi-  
 patus & regiminis depositio & abdicatio facit, ut omnium oculi non sine admi-



ratione singulari in te sint coniecti, ut te etiam cum gaudio intuantur  
& custodiant in vis tuis: quid dicam de tua modestia, verecundia, mansue-  
tudine, benevolentia, benignitate & charitate aliisque tuis donis, quibus pro-  
les, quibus te omnibus commendabilem facis, & quare etiam in calum nique  
extollunt? Sed reprimo me in tuis laudibus enumerandis, ne adulari videar.  
Interim tua Cels. hæc à sui amantissimo benigne suscipiat, & Hamelmannum  
clientem suum redamare propter CHRISTUM & ejus studia promoveri  
non gravetur.

Tuam quoque Cels. Reverendiss. & Incolyte PRINCEPS BERNHARDUS  
rogo reverenter, ut T. Cels. pergat bene de suis subditis mereri atque facere,  
ut diligatur, colatur & ametur deinceps ab iisdem, denique literis & publicis  
favere, ut inde gloriam & honorem cum Domino KETLERO reverentis  
Clementiam, mansuetudinem, humanitatem tuam à multis predicari  
Itaque de istis tuis virtutibus confidens, tuam amplitudinem & Dignitatem  
precor, ut hanc inscriptionem, qua T. Cels. opto, ut apud Deum & homines  
gratiam consequatur, clementer suscipiat. Volui enim eadem meam in  
tuamque disionem observantiam declarare, imopotius hunc librum tui  
studiosos & doctos beneficii ac humanitatis, que commendatur, restem con-  
tuere: Placeat igitur T. Cels. quod meo labore exaratum & meis deinceps  
sumptibus in honorem T. Cels. vulgatum est. Hoc si grato clementique animo  
suscipias, calcas addes, ut reliquos libellos tres de rebus Monaste-  
riensium ad honorem nominis tui mox quoque  
protrudam in lucem.

Valeat utriusque Cels. diu.



LIBER PRIMUS.  
CHRONICI MONASTERIENSIS,

Ex

KRANTII METROPOLI collectus,

Qui Catalogum

EPISCOPORUM MONASTERIENSIVM continet, &amp;c.

*Krantius* Libro I. Metropol. cap. 5.

**T**ertiam Episcopalem Ecclesiam erexit Rex (*Carolus Magnus*) in mediterraneis Saxoniae, nunc Westphaliae in *Mymyn- grode* / loco populofo ac celebri (unde apparet aut tum urbem etiam, vel saltem celebrem pagum fuisse illam urbem, quae jam *Monasterium* dicitur) qui postea ab insigni ibi fundato Monasterio dominarum nomen mutuabatur, ut urbs tota *Monasterium* usque hodie diceretur. Praeposuit ibi Pontificem sanctum virum LUDGERUM, natione *Phrisium*, fratrem *Hildegrius Halberstadenfisi* Pontifici. Quippe regio *Phrisorum* praedicatione divi *Bonifacii* Archiepiscopi Moguntini illustrata multos jam tum habebat & emisit Christianos, inter quos & LUDGERUM virum inde a pueritia sanctificatum, qui praedicationis sancto officio tam ardentem incubuit, ut merito *Saxonum Apostolus* & memoraretur & esset. Instinctu *Alcuii* exocatur LUDGERUS ex Monasterio Galliae *Benevento*, ubi in studio pietatis & religionis adoleverat, & praeficitur a *Carolo* congregationi Canonorum, quam aliquot annos laudabiliter rexit. Hunc inquam praefecit *Mymyngerdensis* Ecclesiae pastorem, & jubente Rege consecratur a *Coloniensi* Archipraesule *Hildebaldo*. Hic *Ludgerus* de facultatibus sui patrimonii celebre Monasterium ordinis *D. Benedicti in Werdena ad Ruram* fluvium, in quo sanctus vir sepultus est, extruxit. Emigravit autem anno 809.

Idem libro I. cap. 25. *Mimigerdevordensi* Ecclesiae post *D. Ludgerum* praeficitur GERFRIDUS, nepos ejus, qui praedecessoris sui vitam & mores imitatus dignum se tanto viro praestitit successorem. Nam & operibus virtutum & miraculorum gratia non caruit. Alia de hoc Pontifice nulla legimus, quanto praefuerit tempore, & quibus fulserit operibus.

Ibidem, Successor *Gerfrido* datus est ALFRIDUS, vir magnae devotionis & sanctitatis, unde Ecclesiae suae & populo sibi commendato in diebus suis utiliter & fructuose praefuit.



*Krantius* libro 1. *Metropol.* cap. 34. *Mimiger devordensi* per ea tempora praefuit LUBERTUS Pontifex, vir magnae devotionis & humilitatis, sed in hoc notatus, quod *Werdenam regalem Abbatiam Ecclesiam* abalienavit.

Libro 2. cap. 18. *Metropol.* In *Mimiger devordensi*, nunc *Monasterio* Ecclesia quintum locum tenuit BERTHOLDUS, vir eximia devotione ac sanctitatis. Per tales enim patres morum gravitate & vitae mundicia praeditos jacere placuit altissimo fundamenta Ecclesiarum, non marmore & auro rutilantia, quam doctrinae & virtutum mundicia redundantia. Serpsit ea aetate per multos lachrymabilis morbus de tumore linguarum, vindicante fortasse occulto iudicio rerum aeterno Deo linguarum loquacium venena. Intumuit in ore lingua maximo dolore, nec valere medicorum ulla remedia, donec BERTOLDUS Deum respicere iubente cum letanias & jejunia populo incedente plaga cessaret.

Libro 2. cap. 29. *Mimiger devordensi*: Ecclesia per eam tempestatem habuit Pontificem WILHELMUM, religiosum in Christo Sacerdotem, pridem plebanum pastorem in *Casenhusen*: Magna is erat humilitate & sanctitate conspicuus: apud hunc illorum temporum Imperator (non enim annectitur, poterat esse vel *Ludovicus* vel *Conradus*, qui *Arnolpho* successere) dum vice quadam in venatione cervum insecutus per longissimos recessus nemoris ab errasset. pernoctem hospitio receptus, cum petere ab eo aliquid jussisset, intelligens hospitem suum esse Imperatorem, petiit, ut quem primum cervum in venatione cepisset, corrigiam sibi de pelle ejus daret, qua cinguli loco uteretur: Amissa Imperator, & videns sanctitatem viri, pollicitationemque factam animo reponens, quam primum vacavit *Mimiger devordensis Ecclesiam* Episcopatus, vocavit igitur susceptorem & hospitem suum WILHELMUM, eique de eadem providit, & totis conatibus renitentem ad eum perduxit (sic quoque, ut hic Wilhelmus renitebatur suscipere istam curam, nostro tempore deposuit istius Ecclesiae Episcopatum volens multis de causis WILHELMUS KETLERUS, fugiens quoque honores) leguntur de hoc viro & alia multa laude digna. Quanto autem tempore praefuerit, quid magnarum rerum peregerit, annales non memorant, hoc solo contenti percensere, quo merito, quae occasio pervenerit ad Episcopatum.

Libro 1. *Metropol.* cap. 15. RICHARDUS per ea tempora *Mimiger devordensis*



*gardevordensem* regebat Pontifex Ecclesiam, vir in utroque homine Nobilis. Nam regium ex *Anglia sanguinem* trahere Pontifex ferebatur: non minus & religione insignis.

Ibidem secutus est *Richardum* in Episcopatu, ordine *octavus*, nomine RUMOLDUS, cujus in præcipuis virtutibus memoratur, quod in fame & caritate annonæ, multam impendit largitatem indigentibus, alter veluti *Ioseph in Agypto*, sic ille in *Westphalia*, terra satis inaquosa & sitiente frugumque non superabundante. Sed quoniam pietas ad omnia valet, potuit in optimo patre providentia & diligentia & circumspectio, ut tunc multis fame deficientibus fuerit salutis conservator. Idem quoque dicitur de *Wilhelmo Ketlero*, qui etsi nunquam novis exactionibus pressisset subditos, ita tamen providentia & studio per paucos annos præfuit, ut etiam jam sese abdicaturus Præfulatu, an. 1557. in summa annonæ caritate, suis pauperibus commode provideret, &c.

Ibidem: Excepit ordine 9. in ea Ecclesia HILDEBOLDUS, cujus memorabile nomen inde est, quod fratribus suis multa providens benefecerit: Admoneor hoc nomine, quod in annalibus ubique lego per Ecclesias vixisse fratres ordine utique Canonico, &c.

Ibidem: *Decimus* ordine in hac Ecclesia Pontifex DODO erat, cui bonum sed breve datur testimonium, quod Ecclesiam suam laudabiliter rexit, hoc est, vita & moribus doctrinaque instruxerit, foris & intus providit, ut ubique bonum haberet testimonium.

Libro 1. cap. 35. *Mimigardevordensem* Ecclesiam tunc rexit vir Deo & hominibus acceptus SVEDERUS ordine 11. qui pro sanctitate vitæ omnium opinione dignus habitus est, qui in *sanctorum numerum* referretur.

Libro 3. Metrop. cap. 46. *Mimigardevordensem* tunc *duodecimus* in ordine administravit THEODORICUS, vir ad utramque rem sollicitus, & intus in religione, foris creveret opibus & rerum abundantia: Fertur amplificasse Præbendas Ecclesiæ suæ, circa annum Christi 1000. Quanto autem tempore præfuerit, quid deinde rerum gesserit, in annalibus non legitur.

Libro 4. cap. 5. *Mimigardevordensi* Ecclesiæ *tertius decimus* præfuit Episcopus SEGEFRIDUS, qui singulari studio præbendas & facultates Ecclesiæ uberiores reddidit, intusque & foris omnia in meliorem partem & uberiores statum redegit. Annales sunt hic valde sobrii.

Libro 4. cap. 14. Eidem Episcopatu præfuit deinde insignis vir



HERMANNUS, ejus nominis I. Episcopatum summa cum industria administrans, & religione in Deum præcipua & in populum vigilantia non vulgari. *Hic primus instituit, dedicavit & consecravit Monasterium & Ecclesiam trans aquas, quod brevi Monaster. ita excrevit, adeoque factum est celebre, ut nomen dederit urbi & Episcopo. Ita ut paulatim abolito veteri Mimigardevordensi vocabulo inceperit dici Monasteriense & civitas & Ecclesia, quod nomen prævaluit in hodiernum usque cum Christiana religione in finem suum.*

Libro 4. cap. 24. *Monasteriense jam dicta ex fundato & magnifico Monasterio 15. Præfulem habet ROBERTUM, qui multis beneficiis & amplicasse fertur Ecclesiam.*

Libro 5. cap. 12. & 8. *Monasteriensi Ecclesiæ datur FREDERICUS Marchionis Misnensis frater, Præpositus fratrum Ecclesiæ Magdeburgensis, vir bonus, doctus & nobilis. Hic ut erat locuples, ita Ecclesiam S. Mauritii extra muros urbis exedificavit, fratribus implevit, stipendia procuravit & perpetuum sui nominis monumentum ibi reliquit, sepultus est in eadem, postquam multis multa cum laude illi præfuisse annis.*

Libro 5. cap. 29. *Monasteriensi Ecclesiæ præficitur post Fredericum ERPO, nepos ejusdem Frederici, vir nobilis ex sanguine Magnopoliensi oriundus, quamvis ista nobilitas tunc in Paganismo esset. Hic aliquo tempore cum Dodone Episc. Leodiensi & Godfrido Duce Bulionis (puto Bilionis) ad exhortationem Urbani II. Papæ cum magna expeditione Christiani populi mare transferunt, & Antiochiam cum civitate Hierosolyma receperunt; Reversus est tamen hic Pontifex voti compos factus, in patriam & Ecclesiam suam, multis post feliciter annis gubernavit, bonoque fine consummatus bonus Christi miles, pastorque plebis emigravit sepultus ad S. Mauritium extra muros.*

Libro 5. cap. 33. *Monasteriense Ecclesia per hæc tempora passa est tumultum. Nam HENRICUS IV. præfecit ei virum excellentem BURCHARDUM, sed illum veluti schismaticum & Henrico anathematizato subscribentem, ejecerunt ministeriales sui & Comes de Arnberge. Sed Henricus V. illum potenter reposuit. Et ut expressius rem explicemus; Albanensis Episcopus, Cardinalis, Apostolica sedis legatus, Archiepiscopum Coloniensem & Monasteriensem Burchardum ab officio suspendit, & ipse Monasteriense, contra eum, Ecclesia ministerialibus & Comite Westphaliae de Arnsbergi Frederico adnente, expellitur, capitur, & ad Imperatorem Henricum V. deducitur & in vincula conjicitur, quem postea Henr.*



Henricus idem rex Monasterium veniens sedi suæ restituit, &c. Et mox libro 6. cap. 9. Cum jam inter Cæsarem & Saxones oreretur bellum, non deseruit restitutorem suum *Burchardus* prædictus, igitur iterum ejicitur, & **THEODORICUS** Comes de *Winsberg* reponitur, donec illum quoque *Henricus V.* rex rejiceret & *Burchardum* reponeret. Cum autem *Henricus Imperator* jam summo Pontifici reconciliaretur, *Burchardus* quoque de sua Ecclesia sit securus: Sed erat magna causa cur illum ablegaret Imperator ad Imperatorem Constantinopolitanum (fuit ergo doctus) in qua legatione moriens defecit: Tum *Dux Ludarus* & Comes de *Winsberg* **THEODORICUM** suum *reducere*, sed tanta erat civium & ministerialium Ecclesiæ pertinacia, ut nullo modo sibi paterentur præesse *Theodoricum* illum, armis ergo cogendi erant, ut parerent. Qua in conflictatione cum jacula ignita immitterentur in urbem, cum univèrsa urbe conflagravit templum S. Pauli (hoc etiam ita refert in Saxonia lib. 5. cap. 41.) sed *Dux* compatiens tantæ jacturæ, prospexit ut impendio suo pro magna parte & Ecclesiæ & civitas restitueretur. Quo in prælio multos jure militari captos morte multavit, & Ecclesiæ ædificandæ sic prospexit, ut quorum opera male defensa perierat, eorum pecunia de novo fundaretur. **THEODORICUS** in Ecclesiâ sua usque ad finem vitæ remansit, reparationi structurarum & reformationi morum tum plurimum necessariæ institit, perfecitque ad bonum modum, priusquam vivendi finem faceret.

Libro 6. cap. 20. In *Mimigardevordensi* vel *Monasteriensi* Ecclesiâ hoc ordine invenio *Burchardum* post *Theodoricum*; nec adjiciunt annales, an is sit, qui cum *Theodorico* de Cathedra certabat, cum partes ejus tueretur *Henricus V.* sed cum pro *Theodorico* faceret *Dux Saxonie Ludarus*, post imperans, dejicitur, & *Theodoricus* reponitur. Sed quod iste sit alius convincitur ex hoc, quod *Burchardus* prior in legatione Imperatoris defecerit, & tunc primum repositus *Theodoricus*. Non potuit ergo *Theodorico* succedere jam ante defunctus in legatione. Habetque testimonium iste *Burchardus* post *Theodoricum* numeratus, quod Ecclesiâ sub *Theodorico* per bellicum tumultum concrematam restituerit, quod temporibus primi *Burchardi* dari non potuit. Facit tamen numerus & ordo (nam iste *Burchardus* 19. habetur) ut prior *Burchardus* in numerum non ponatur, alioqui esset iste 20.

Libro 6. cap. 32. *Monasterienis* Præsul tunc erat **EGBERTUS**, ordine 20. inter Pontifices istius Ecclesiæ. Hic *Monasterium puellarum*



*trans amnem tempore Theodorici Episcopi incendio consumptum restauravit & foeminas ex illo incendii tempore evagantes in cognationibus suis specie quaerendae opis sub anathemate revocavit, & plurimum renitentes inclusit, &c.*

Libro 6. cap. 45. Monasteriensi Ecclesiae praefuit WERNERUS 21. vir omni virtute conspicuus.

Libro 7. cap. 5. Monasteriensi Ecclesia habet Pontificem 22. HENRICUM II. qui multum laboravit pro nova Ecclesia erigenda providitque quae necessaria fuere, sed ad effectum ipse non pervenit passus quod S. David in aedificando templo Hierosolymitano.

Libro 7. cap. 15. Hic fuit deinde Pontifex LUDOVICUS, *per* Orthonis Comitis de Tecklenborg, qui tunc potenter dominabatur in terra, & ut erat magnanimus, ita Ecclesiam amplificavit, multisque donavit rebus & libertatibus.

Libro 7. cap. 21. Mimigardevordensis Ecclesiae Praeful erat deinde GODSCHALCUS, ordine 24. hnmili genere Saxo natus, sed natalium originem virtute & industria supplevit. Nam Imperator Fredericus ejus laudabili vita permotus eidem de ista ditione providit, quem & laudabiliter rexit & fortiter adversus insurgentes defendit.

Libro 7. cap. 27. In ditione Mimigardevordensi regebat ad novissima Frederici tempora & per successionem Henrici filii ejus, HERMANNUS ejus nominis 2. Comes in Caenenellenbogen / quem patrem cognominabant, ordine 25. hic annis triginta praefuit Ecclesiae: Hic in civitatem suam instituit duas Ecclesias collegiatis Marini & Ludgeri, augens rem divinam: Instituit etiam & dotavit Monasterium campi Sanctae Mariae (Matienfeld) in quo & primum lapidem posuit & magnam pecuniae summam superimposuit.

Libro 7. cap. 33. Ecclesia Monasteriensi Episcopum meruit post Hermannum, insignem virum Bremensis Ecclesiae Praepositum OTTHONEM, natum de Benthem Comitem, Comitis de Cappenborg propinquum. Hunc ferunt primum per Capitulum electum, qui fuit ordine 26.

Libro 8. cap. 5. Monasterii erat post Orthonem Comes de Gienberg THEODORICUS, ordine 27. Hic praclarum opus praestitit in aedificanda Ecclesia nova S. Pauli, ubi primum posuit lapidem, deposita ad hoc aedificium ingenti summa pecuniae, quod factum est in die Magdalena: Dedit fratribus novem Ecclesias deinceps ab illo conferendas, sed quae centum solve-



solverent matrici & Capitulo, & alia pleraqua fecit memoratu digna, quæ tamen in fastos non sunt relata, ac ne anni quidem regiminis ejus annotati.

Libro 8. cap. 14. Succedit LUDOLPHUS de HOFFE (quos ministeriales vocat *Krantius*, sed erant *Barones majores* teste Ertwino) vir magnanimus, qui in Episcopatu multa dura perpeffus est de inimicis suis, & de Ecclesiæ hostibus gloriose triumphavit.

Libro 8. cap. 31. Post Ludolphum fit Episcopus nobilis OTTO de Lippia, ejus nominis secundus, vir strenuus.

Libro 8. cap. 45. WILHELMUS de HOFFE fit 30. Episcopus, qui hoc tantum reliquit in Ecclesia memorabile, quia dedit fratribus in Ecclesia sua *Divi Lamberti & in Bilrebecke* proventus.

Libro 8. cap. 55. Post Wilhelmum fit GERHARDUS de MARKA, vir illo sacerdotio & majori dignus, religionis amator & propagator, qui fundavit & dotavit collegium in *Dorsum*, & multa contulit Ecclesiæ suæ, &c.

Libro 9. cap. 6. Trigesimus secundus Præsul est EVERHARDUS de DEESE / ministerialem arbitror familiam, (sed fuit dominium in terra Juliaca) Hic fuit vir sine controversia magnus: Hic in rebus arduis utramque expertus fortunam, nec explicatur in annalibus, quid egerit quidue passus sit, nisi quod promptum est conjectare, rebus bellicis pro Ecclesia implicitum, nunc victorem, nunc victum fuisse.

Libro 9. cap. 22. Monasteriensi ditioni præerat OTTO III. Comes de *Netberg* / vir memorabilis, Præpositus *Paderbornensis*, 33. Episcopus, sed cum sex annis præfuisset, sentit adversarium *Colonensem Præpositum Conradum*, à quo cum premeretur, cedit potentiori, & mox in exilio est mortuus: *Is igitur factus 34. Episcopus* tantum per quatuor annos in Episcopatu male quæsito fuit: damna primum gravia inferens ditioni & ipse patiens, qua in re graviter Ecclesiæ prædia & ministeriales laborabant, inque ea perplexitate mortem is obiit. Electionem istius *Conradi* & quæcunque idem ordinaverat, concesserat, instituerat, destituerat & autorisaverat, *Clemens V. Papa* tanquam *invalida* cassavit reprobavitque.

Libro 9. cap. 31. Tunc Monasteriensi Ecclesiæ datus est Episcopus præclarus & magnificus Dominus LUDOVICUS de HASSIA,



literis apprimè instructus: *Provisio* illa prima facta est per *Clementem* Comes *Clivensis* *Otho* illum introducit: Ecclesiam Monasteriensem beatè & laudabiliter rexit: In domestica familia clericos primos habuit, quos contra nostri temporis Pontifices, clericos in postremis, militares in primis habent: Vita erat integra, pauperibus misericors, bonis amabilis, reprobis terribilis, in bellis fortunatus, inter Principes acceptus & honoratus, in casibus duris interritus: Ultra omnes Prædecessores suos opibus, gloria & honore pollebat, & anno Præfulatus sui 49. obiit gravit hinc.

Libro 9. cap. 45. *ADOLPHUS* Comes de *Marka*, vir sicut in hoc Canonico doctus, *Canonicus Colonienfis*, fit *Monasterii Præfulatus* pacifice rexit ditionem per aliquot annos, sed postea ingruentibus malis pressuram sustinuit adversariorum, qui eum & Ecclesiam suam graviter impugnarunt. Interim ille per *Romanum Pontificem* translatus est ad *Ecclesiam Coloniensem*, in qua non diu perstitit, sed in manus *Romani Pontificis* eam resignavit. *JOANNES* autem de *WERNERBORN* qui ei in *Ecclesiam Monasteriensem* successit, & solenniter quidem introductus & honorificentissime exceptus, cum vix unum annum in ea perstitisset, mox transfertur ad *Ecclesiam Trajectensem*. Ita *Ecclesia Monasteriense* tum contempta est, ut facile eam dimitterent, data spe uberioris loci. Tum quoque cepit ista *Translatio Pontificia* frequentari, quæ ante non consuevit fieri, nisi magnis & ponderosis de causis. *FLORENTIUS* quoque de *WERNERBORN* 38. *Episcopus Monasteriense*, cum esset *Canonicus Colonienfis*, mox quoque per *Urbanum V.* de hac *Ecclesia Monasteriensi* providetur: Hic quoque in rebus suis utiliter providit *Ecclesiæ*, perdita ille recuperavit, quæ repetenda auxit & *Ecclesiæ rebelles* domuit: atque idem mox post aliquot annos per eundem *Urbanum* translatus est post prædecessorem suum in *Ecclesiam Trajectensem*, quam summa industria ad finem vitæ laudabiliter rexit.

Libro 10. cap. 27. Ex *Apostolica* provisione fit *Monasterii Episcopus* *POTO* de *WERNERBORN* vir *Bohemus*, ad hoc proventus, ut facile cerni potest favore *Imperatoris Caroli IV.* qui *Bohemus* ipse, honoribus suæ gentis favebat. Venerat hic *Poto* cum decenti Comitatu & habuit *Ecclesiam* suam in visurus. Cum appropinquaret oppido *Samm* incursionem patitur equitum, quæ res non rara tum fuit in ea provin-



cia, præsertim cum alienigena venisset in ea Ecclesia sumere Episcopatum: Multi ex suis vulnerati sunt & alii capti: Ipse vix elabatur defensus à suis: In prædicto oppido moram traxit aliquandiu, donec cives Monasterienses obviam progressi honorifice eum deducerent, ut saluum & incolumem in suam civitatem comitarentur. Honori hoc dantes sedis Romanæ, & nihilominus alienigenæ viro pietatem & humanitatem ostendere voluerunt: ipse tamen cum moribus alienus & vernaculæ linguæ imperitus esset, sua sponte elegit abire, *translatusque* est postea ad Ecclesiam Swerinensem.

Libro 10. cap. 44. Post *Porhonem* fit *Præsul* HENRICUS *WUZZI* qui primum *pastor* erat in *Hertsfelde* postea factus *Scholasticus* Ecclesie *Monasteriensis*, inde etiam *Præpositus*, pro eo quod res Ecclesie strenue ac legaliter administravit, itaque *eligitur tandem Episcopus*, Diocesim prudenter rexit & multas difficultates perpeffus, forti & constanti animo perstitit, & fere in omnibus victor evalit, sed morbus, quem *tympanicem* dicunt, (genus est hydropticis) victor ejus fuit.

Libro 10. cap. 49. Sequitur Pontifex OTTO de *SDVA* Comes, qui pridem Ecclesie Pontifex talem se gerebat, ut Episcopatu dignus ab omnibus judicaretur. Hic erat bellorum amator, bellis gerendis aptior, quam Ecclesiis administrandis: In armis satis fuit fortunatus, hostes Monasteriense Ecclesie fere ad extremum profligando & capiendo, ex quorum bonis, prædiis, arcibus & oppidis fines ditionis Ecclesiasticæ mirificè ampliavit. Denique immortale nomen in Ecclesia sua pro ditionibus, quas addiderat Ecclesie, pro autoritate, quam revocaverat in Ecclesiam, cum jam pene venisset apud multos in contemptum ista Ecclesia, reliquit.

Libro 11. cap. 30. Post OTTHONEM optimum & victoriosum Pontificem sequitur HENRICUS de *MDREU* frater *Archiepiscopi* *Coloniensis* *Theodorici*, vir illo & majori loco dignus, qui Ecclesiam per sua tempora gubernavit in omni tranquillitate, quippe cui prædecessor vias straverat pacis: Pertinaces hic stravit, inquietos ejecit, cui frater auxilium dignitatem formidandus, si quis se adversus *Henricum* commovisset.

Libro 11. cap. 40. Monasteriense Ecclesia post defunctum Henricum incidit in gravissimam perplexitatem, quæ in durum ac diuturnum excrevit bellum: nam *Canonici* elegerunt legitime WALRAMUM,



*Henrici prædecessoris fratrem Comitem de Morsa propter Theodericum Archiepiscopum Coloniensem, cuius nomen tunc erat per multas Provincias celeberrimum, contra ministeriales & cives vociferabantur Walmarum ab Ecclesia Traiectensi rejectum & indignum; ERICUM vero Hoyersem Comitem, nuper pulsum ex Osnaburgensi Ecclesia, Coloniensem Præpositum, propter bene merita patris sui Otthonis eligendam consueverant. Interim Capitulo non fuit visum ex dignitate sua cedere clamoribus viri & populi, ac suo jure eligendi decedere, denique Archiepiscopum contra se excitare. Itaque egressi urbe ad suos se quisque propinquos sunt omnes Canonici ordine militarium orti, nec patiuntur prolegeris quemque, etiam si sit literis & eruditione excellentissimus. Insuper & odiosum bellum consurgit. Joannes de Hoya Comes, frater Erichis gaudebat uberem sibi datam exercendæ virtutis materiam. Itaque cives Monasterienses æquè ad causam ferventes ille ducebat: nec contenti, conduxere stipendio Ducem Brunsvicensem Fredericum, ut Theoderico Coloniensi per diocesim vaganti opponerent Principem. Melius quanto sibi consuluisse, si Joannis ductibus contenti, ex ejus sententia rem gessissent. Fredericus ferox ab annis Princeps, cedere nescius, ubi vidit hostilem exercitum impune vagari, egressus tuto loco, castra fixit in aperto, volens hoc crimen gloriæ suæ inferre, ut vel cederet, vel lateret: Potuisset extraxisse tempus, quod ad auxilia illi, quæ erant non longe, venissent, sed efferbuit indignatione, in prælium exiens cum paucis adversus triplo majorem & expeditiorem exercitum pugnavit: Ibi quanquam fortem operam & Dux & milites sui navassent, tamen quod necesse fuit, conclusi in manibus multorum superantur. Captus Dux ipse & multi sub illo militantes: Abducitur captus Coloniensis ibique diu manens: laxandum se Monasteriensium ære arbitratus est. Illi vero ad rem minime properavere, arbitrati præter mandatum se injecisse periculo non necessario Ducem. Cogitur post multa se suæ are laxare: mansit quarimonia ad posteros: Interim variis casibus in octavum usque annum extrahitur bellum: (de quo latius refert in Saxonia Krantius lib. II. cap. 36.) Et tamen non cessavere cives se opponere Capitulo, sed pertinaciter bellum continuarunt, licet Dux esset captus. Quum interea illustris Dominus Joannes Dux Bavariæ in Italia agens intelligeret contendentium neutri magnum jus esse, Curiam petens Ecclesiam impetravit vacantem. Literas expeditavit & venit in loca vicinæ.*



na, de jure suo insinuans. Jam partes ambæ bello fessæ gaudebant, se invenisse, quo malum terminarent: Suscipitur hic cum honore & introducitur, & per illum omnia pacantur. Jam enim in fata concesserat *Wabramus*. *Foannes* præfuit Ecclesiæ in summa religione, donec ad Ecclesiam *Magdeburgensem* postulatus, eo concesserit.

Libro 12. cap. 3. & 6. Optimus Princeps *Foannes* Monasteriensis antistes fit *Præsul Magdeburgensis*, & assumitur *HENRICUS* de *Schwartzberg* Comes, *Bremensis Archipræsul*, ea lege, non ut administrator sit Monasteriensis, sed ut sit ibi *Episcopus*, si volet & poterit: *Bremensem* vero Ecclesiam permittente Romano Pontifice in commendam retineat. Quid non facit ambitio secularis & majoris respectus? Ille quidem transibat in *Monasteriensem* & *Bremensem* non reliquit.

Capite 13. *HENRICUS* quotidiana mansione decoravit Ecclesiam *Monasteriensem*: Ibi versabatur totis annis, raro *Bremensem* Ecclesiam invisebat, omnia quæ juris illius erant ex *Bremensi* ditione in aliam advehi curavit, arcem *Delmenhorst* tenuit ille ita, ut ubique esset securitas & ne quidem audiretur de ullo periculo. Pervenit ad annum 96. post 1400. & tunc vivendi finem faciens quievit, cum *Bremensi* Ecclesia per 33. annos *Monasteriensi* per 30. annos præfuisset.

Libro 12. cap. 24. Per obitum *Henrici* postulatur insignis & prudens vir Dominus *CONRADUS* de *NEUBERG* Ecclesia *Osnaburg. Episcopus*, qui tunc factus est *Monaster. Præsul & administrator Osnaburgensis*. *Monasteriensis* enim pro sua dignitate & opulentia titulum requirit in suis Pontificibus, non contenta administratione. *Conradus* autem vir doctus, humanus & industrius ambas gubernavit, à Capitulo tamen suo & ministerialibus injecto freno satis ut fertur restrictus, ut nisi quod illi approbarent, in majoribus decerneret, præsertim in rebus bellicis: nec iniquum, quippe qui ea in re & opibus & armis & suorum periculo caput coguntur adesse. Fruebatur tamen *Conradus* temporum tranquillitate, & maxima nihilominus autoritate habitus est *Episcopus* armis, viris, opibus, arcibus, prædiis reliquisque rebus ad splendorem abundantissimus. *Frisia* contermina (*Monasteriensi* ditioni in *Emeslandia*) magnis motibus agitata deposcebat auxiliaria arma, quod *Exardus Phrisia orientalis* Comes conjugem teneret neptem *Conradi* ex fratre, sed ille palustrium rebus se non immiscet.



## Ex Appendice ad Metropolim Krantii adjecta.

Monasteriensis Ecclesia viduata est morte Conradi, eligitur ex choro Coloniensi Illustris Princeps ERICUS ex Ducibus SAXONIE INFERIORIS (de Lowenborg) qui Ecclesia Hildesimensi cedens permisit illam Germano fratri suo Joanni: Hanc vero Monasteriensem majoribus subnixam viribus et opulentiore non contempsit: Late enim illa imperat, multis abundantis militaris ordinis viris. Ecclesia cum multis rebus insignis, in hoc fidei mirabilis, quod ab initio ordines mendicantium non est passa, nobilissimis locis: prospexisse patres visi sunt multa Ecclesiarum potentia, quæ se magis ac magis aperiunt (ait Krantii) in singulos dies.

Hæc ex Metropoli Dn. Krantii.

## Sequitur nunc brevis additio de reliquis Episcopis sequentibus.

Mortuo Erico de Lowenborg Duce Saxonie & Westphalie (nam & hunc quoque sibi usurpant titulum) eligitur FREDERICUS de WEIDA Comes, frater Hermanni Archiepiscopi Coloniensis: Quid ille egerit, plane ignoro: interim ille tandem resignavit ad manus Capituli Episcopatum in favorem & gratiam tamen Erici de Grubenhagen/ Brunsvici Ducis, Episcopi Osnaburgensis, quem petebat sibi substitui: Annuente Capitulo admittitur ERICUS Osnaburgensis Episcopus & Paderbonensis administrator, (habuit enim multos in Capitulo sibi faventes, quod sine muneribus fieri non potuit) verum Fredericus, qui vel ibi firma non est usus valitudine, vel quod aliud ipsum moverit, cur desereret Episcopatum, sibi vitam, certam inde summam quotannis reservavit, quæ est etiam ratificata per Capitulum: Interim moritur anno 31. Ericus, & in ejus locum eligitur FRANCISCUS WALDECHIANUS Comes, cui contigit gravis illa statim molestia cum Anabaptistis, quamquam antea de consilio Capituli, propter admissos Evangelii Doctores & susceptam Evangelii doctrinam occupasset vias omnes & aditus, ne quid in urbem importari posset annonæ. Sed quia tunc Telgeta quidam Capitalaris & consilii Episcopi capiebantur per cives Monasterienses, interveniente Landgravii res est composita (de qua re alibi latius dicam) Deinde vi biennio elapso, cum Anabaptisticus furor invaderet celebrem urbem, obsedit illam Episcopus, collecta undique ex tribus ditionibus (erat quoque



quoque *Osnaburgensis* Præsul & *Mindensis* administrator) suis valida manu, postquam etiam conduxisset hinc inde milites: sed cum ille solus aliquot mensibus omnem belli sumptum fecisset, *Coloniensis* Archipræsul *Hermannus de Weida*, & *Clivensis* Princeps *Joannes* (ut qui magnas occupabant provincias in *Westphalia*) vicino Episcopo auxilio miserunt pecuniam, tormenta, item cohortes aliquot peditum & equitum. *Coloniensis* ex arce *Arnsberg* profectus ipse in castra fuit, communicandi consilii causa, neque multo post urbs fuit aliquot locis oppugnata: Cum autem ejus per vim capiundæ spes nulla superesset, 7. fuerunt extructa circum castella seu propugnacula (vulgo *Bloekhüser*) tollendi causa commeatu, cum singulis peditum signis & cohortibus aliquot equitum, qui ibi essent in hybernis: continuandæ vero causâ obsessio- nis atque belli, quod ad omnes æque pertineret, *Monasteriensis* Episcopus ab iis Principibus atque civitatibus, quæ sunt *Rhenanæ* provin- ciæ, tanquam à vicinioribus auxilia petebat, &c. Sed reliquam istius belli historiam ad finem perducam in quarto libro, ex *Sleidano* & *Kerssenbrochii*, *Bolandi* & aliorum scriptis ac relationibus. Diu præfuit *Franciscus*, multa recuperans in ista ditione: tandem turbatus inopinato bello *Philippi Ducis Brunsvicensis*, anno 1553. incidit in morbum subito & moritur in arce *Walbeck* / sepultus *Monasterii* in summo templo, qui istam urbem & ditionem *Anabaptistarum* furore perditam restituit & laudem hinc perpetuam meretur.

Illo mortuo eligitur **WILHELMUS KETLERUS**, Præpositus *Monasteriensis*, & *Consiliarius Ducis Julia & Clivia*, &c. qui cum per triennium provide, pacifice & prudenter, ut homo doctus, pius & sapiens, pro sua singulari virtute ac gratia rexisset ditionem istam, denique nullis exactioibus (*Schattunge*) gravis fuisset subditis, imo potius pauperioribus ex suis bonis succurrisset, tandem uliro volens se abdicavit isto Principatu & amplissimo Episcopatu, cum esset Metropolis *Westphaliæ* elegantissimæ, & munitissimæ urbis Dominus: atque ipse gubernator inquam esset celeberrimæ provinciæ, cujus amplitudo fere ad *Rhenum* usque extenditur ab una, & ab altera parte ad *Wiseram*, tum fere ad *Mare* usque versus *Phrisiam*: denique etsi is florentissimam regionem magna cum laude possideret, tamen maluit privatim tranquille & bona conscientia vivere, quam tantum onus dignitatis sustinere. Magnum & ineffabile factum, & virtus stupore quodam digna & miranda,

res-



resque pene inaudita, quod is vir & Heros contempserit honores tales, nomen inquam gratiosum, amplum dominium, jus & auctoritatem in multa celebria oppida & pagos plurimos, quod dimiserit tam celebres possessiones, tot etiam arces, denique omnia mundi bona, delicias, pompam & si quæ alia sunt, quæ omnes fere homines quarunt, sectantur, investigant & appetunt. *Ipsius discessus & abdicatio, quæ fiebat an. 1577.* (si recte memini) omnibus nobilibus, ministerialibus, urbium & oppidorum administratoribus, civibus, rusticis, accolis & incolis, denique omnibus subditis, imo vicinis Heroibus, nobilibus & urbibus magnam rem & dolorem attulit ingentem, quia omnes Dn. KETLERUM venerabant, venerabantur & magnificiebant.

Illo se sic Principatu abdicante, quanquam *diu recusarent* *receptam suam illam abdicacionem Dn. Capitulares*, & interim ille perstaret in Assentia, tandem eligitur in ipsius locum cognatus ejus BERNHARDUS à RASFELD, vir prudens & literis excultus, qui hæctenus quousque præfuit utiliter ditioni, & multa de consilio Domini Ketleri prædecessoris & cognati sui sapienter fecit: Et RASFELDII gubernatio prospera est etiam hodie, &c. De rebus Monasteriensium nostro tempore factis plura in *libro quarto* dicemus.

